

Naxos 8.570535 Antoine Brumel: Missa de Beata Virgine

Ave, Ancilla Trinitatis (a 3)

- [01] Ave, Ancilla Trinitatis,
Ave, Filia sempiterni Patris,
Ave, Sponsa Spiritus Sancti,
Ave, Mater Domini nostri Jesu Christi,
Ave, Soror angelorum,
Ave, Promissa prophetarum,
Ave, Regina cælorum,
Ave, Doctrix apostolorum,
Ave, Confortatrix martyrum,
Ave, Fons et Plenitudo confessorum,
Ave, Decus viduarum,
Ave, Corona virginum.

Sanctorum Sanctarumque omnium mecum sis
in omnibus tribulationibus meis.
Amen.

Missa de Beata Virgine

- [02] **Kyrie**
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

- [03] **Gloria**
Gloria in excelsis Deo:
Et in terra pax hominibus bonae voluntatis.
Laudamus te, benedicimus te,
adoramus te, glorificamus te.
Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.
Domine Deus, Rex cælestis,
Deus Pater omnipotens,
Domine Fili unigenite, Jesu Christe.

Spiritus et alme orphanorum paraclite.
Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris,
primogenitus Mariæ Virginis Matris.
Qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Qui tollis peccata mundi,
suscipe deprecationem nostram.
Ad Mariæ gloriam.

Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis.
Quoniam tu solus sanctus.
Mariam sanctificans.
Tu solus Dominus.
Mariam gubernans.
tu solus altissimus,
Mariam coronans, Jesu Christe.

Cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

- [04] **Credo**
Credo in unum Deum, patrem omnipotentem,
factorem cæli et terræ
visibilium omnium et invisibilium,
et in unum Dominum Jesum Christum,
Filium Dei unigenitum.
Et ex Patre natum ante omnia sæcula.
Deum de Deo, Lumen de Lumine:
Deum verum de Deo vero.
Genitum, non factum;
consubstantiallem Patri,
per quem omnia facta sunt;
Qui propter nos homines et propter nostram
salutem descendit de cælis,
Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine
et homo factus est.

Crucifixus etiam pro nobis;
sub Pontio Pilato passus et sepultus est,
Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas.
Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris.
Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos
et mortuos;
Cujus regni non erit finis.
Et in Spiritum Sanctum,
Dominum et vivificantem,
qui ex Patre Filioque procedit;
qui cum Patre et Filio simul adoratur et
conglorificatur;
qui locutus est per prophetas.

Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam
Ecclesiam.
Confiteor unum Baptisma in remissionem
peccatorum.
Et expecto resurrectionem mortuorum,
et vitam venturi sæculi.
Amen.

- [05] **Sanctus**
Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt cæli et terra gloria tua.
Osanna in excelsis.
Benedictus Mariæ Filius qui venit in nomine
Domini.
Osanna in excelsis.

- [06] **Agnus Dei**
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
dona nobis pacem.

[07] **Mater Patris et Filia (a 3)**

Mater Patris et Filia
mulierum lætitia,
stella maris eximia,
audi nostra suspiria
Regina poli curiæ,
Mater misericordiæ
in hac valle miseræ.
Maria, propter Filium
confer nobis remedium.
bone Jesu, Fili Dei,
nostras preces exaudi,
et precibus nostris
dona nobis remedium.

Amen.

[08] **Ave, Virgo gloriosa**

Ave, Virgo gloriosa
cæli jubar, mundi rosa,
cælibatum lilium.

Ave, gemma pretiosa
super solem speciosa,
virginale gaudium.

Spes reorum es, Maria,
Redemptoris Mater pia,
redemptorum gloria.

Finis læthi, vitæ via,
tibi triplex Hierarchia,
digna dant præconia.

Virga Jesse florida,
stella maris fulgida,
sidus veræ lucis.

Fructum vitæ proferens
et ad portum transferens
salutis, quos ducis.

Florens hortus, ægris gratus,
puritatis fons signatus
dans fluentia gratiæ.

Thronus veri Salomonis,
quem præclaris cæli donis,
ornavit Rex gloriæ.

O Regina pietatis
et totius sanctitatis,
flumen indeficiens.

In te salva confidentes,
salutaris sitientes,
potu nos reficiens.

Ad te flentes suspiramus,
te gementes invocamus,
Evæ proles misera.

Statum nostræ paupertatis,
vultu tuæ bonitatis
clementer considera.

Cella fragrans aromatum,
apotheca charismatum
salutaris.

Tuam nobis fragrantiam
spirans infunde gratiam,
qua ditaris.

Dulcis Jesu Mater bona,
mundi salus et matrona
supernorum civium.

Pacem confer sempiternam
et ad lucem nos supernam
transfer post exilium.

Amen.